



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

8 Vtrum sacrificium sit de lege naturæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

*Isidorus.*

que in vaporem & fumum resolutum, quasi ascēdebat. Alij vero, ve Isidorus supra refert, exultimāt (holocaustum), nomen esse Græcum, idemque significare quod totum incensum. Secundo, sacrificium post iugulationem seu interfectionem animalis, partim igne consumebatur, partim in usum sacerdotū reservabatur, illudque in atrio, vel in templo comedebat, ut in hostia, quæ dicebatur, pro peccato. Tertio erat sacrificium (hostia pacifica) dictum: quod partim igne, partim sacerdotum, partim etiam ipsorum sacrificantium usu consumebatur, ut constat ex Levitico, præsertim sex capitibus primis, ubi Cyr. Rup. & alij expostores, varias horum sacrificiorum rationes tradunt, quas brevitè collegit D. Th. 1. 2. q. 102. & prius attigit Philo. l. de victimis, & Joseph. l. 3. Antiq. c. 13. Hæc autem partitio potissimum habet locum in sacrificijs animalium: accōmodari autem suo modo potest etiam ad ea, quæ erant ex fructibus terræ: ut similia, triticum, &c. omnia enim aliquo ex prædictis modis consumebantur.

*Cyrril. Repert. D Thom. Philo. Joseph.*

*Aliud sacrificium cruentum, aliud inmentum.*

Vnde etiam obiter declarata relinquuntur alia diuisio sacrificij in incruentū, & cruentum, quæ tum ex parte rei oblatæ, tum ex modo offerendi, sumi potest quodcumq; enim offerebantur fructus terræ aut aliquid ex illis confectum, sacrificium fiebat incruentum: quia nulla sanguinis effusio in eo fiebat, aut fieri poterat. Quando vero offerebantur animalia, semper fiebat sacrificium cruentum: iugulabantur enim & sæpe ad humanos usus parabantur, quod fieri non poterat sine sanguinis seu cruoris effusione. Quod etiam maxime fiebat ad significandum cruentum sacrificium, quod in Christi passione peractum est, si cut per priora sacrificia adumbratum etiam fuit incruentum sacrificium, quod in nocte cenæ Christus obtulit. Vnde in lege etiam naturæ utrumque sacrificij genus inuentum est, nam Melchisedech, sacrificium obtulit incruentum: de Abraham vero & alijs Patriarchis sæpe legitimus, sacrificia cruenta immolasse. Sacrificium autem legis nouæ, ut postea videbimus, formaliter, & proprie incruentum est: tum quia Christus in eo oblatus semel tantum mori debuit, idque de se sufficientissimum fuit ad nostra exhaurienda peccata: tum etiam, quia ita decebat ad perfectionem, & puritatem legis gratiæ potest autem hoc sacrificium dici eminenter & mystice cruentum: quia in eo vera caro, & verus sanguis offertur cum quadam mystica representatione sacrificij cruenti, & sacramentali eorum separatione, quantum est ex vi verborum, quantum propter realem concomitantiam minime in re ipsa separantur, sed coniuncta sunt.

*Sacrificia ite pro significatiuum sine intentione sunt varia.*

Quarta diuisio sacrificij sumitur ex parte finis, & continet tria vel quatuor membra. Primo enim institui potest sacrificium solum ad Deum venerandū, eiusque excellentiam, & supremam dominationem protestandam, & huiusmodi erat holocaustum, quod propterea totū cremabatur, ut significaretur id totum, quod creatura est, Dei esse: totumq; in Dei honorem & laudem esse perfectissimum sacrificiorum omnium, vnde & ad statū perfectorum dicitur pertinere. Secundo potest institui sacrificium in expiationem peccatorum, & dicitur: hostia pro peccato: quæ in lege veteri frequens est, & multiplex pro diuersitate peccatorum, aut personarum: sæpe enim ad diuersa diluenda peccata diuersa præcipiebantur sacrificia, non quidem in omni peccatorum genere: id enim fuisset immēsi cuiusdam oneris, sed in quibusdam, quæ iuxta illius legis statum, censebantur grauiora, vel pro quibus talia sacrificia præciperentur aptiora. In quo etiam significatū est, illa sacrificia per se non fuisse sufficientia ad internam peccatorum remissionem quo ad culpam: quia hoc modo vnum peccatum mortale sine alio non tollitur: sacrificia autem illa pro peccatis, mortalibus præsertim, offerebantur, nõ ergo ad remissionem culpæ ex vi illorum,

sed vel ad satisfaciendum pro pena ex opere operatis; ad id enim valere poterant, si offerens erat sufficienter contritus: vel ad impetrandam à Deo talem contritionem, si saltem ex vera fide, & aliquali dispositione, & bono ac supernaturali motu cordis oriretur. Vel denique (quod certius erat) ad legalem iustitiam, seu veniam obtinendam. Tertio, instituebatur aliud genus sacrificij, q. (hostia pacifica) appellabatur, ut tradit D. Th. 1. 2. q. 102. art. 3. ubi hoc modo tri-membrem facit hanc diuisionem, ad eam omnia sacrificia referens, quæ, vel in lege veteri instituta sunt, vel excogitari possunt. Maioris autem claritatis gratia possumus tertium hoc membrum in duo subdiuidere: sit ergo tertium sacrificij genus, quod ad gratias Deo agendas pro beneficijs susceptis instituitur, & hoc propriissime vocabatur hostia pacifica, sacrificium laudis, seu gratiarū actionis. Quartum vero genus est quod ad sacrificium instituitur ad impetrandum à Deo aliquod beneficium, præter remissionem peccatorum, quod dici potest: sacrificium impetratorium. In qua tertia diuisione obseruandum est, sumptam ex motu virtutis: quatenus, vel ad finem virtutis: penitentia, gratitudinis, religionis, aut alterius similis proxime ordinatur. Quapropter, quamuis ex vi & intentione instituentis fieri possit, ut sacrificia ad hos fines ordinata, sint etiam (ut sic dicā) realiter, seu materialiter diuersa: non tamen repugnat, hæc omnia motua ad idem reale sacrificium applicari, vel ex intentione proximi offerentis, vel etiā ex mente, & institutione primi instituentis. Atque ad hunc modū vnicum Sacrificium legis nouæ omnes has sacrificiorum rationes perfectissime cōtinet. Est enim holocaustum, quia potissimum sit in recognitione diuinae excellentiæ. Est Eucharisticum, quia sit in recognitionem & gratiarum actionem passionis Christi, quæ fuit summum Dei beneficium, & fons beneficiorum omnium. Est etiam impetratorium, quia in eo Christum offerimus, in quo, & per quem, omnia diuina beneficia sperare debemus.

SECTIO VIII.

Verum sacrificium sit de lege nature.

Hactenus sacrificij naturam & proprietatem contemplati sumus, & obiter, quæ in communi de causis & effectibus desiderari possunt, sufficienter attingimus: superest igitur, ut aliam partem de sacrificio traitemus, quæ ad rem moralem pertinere potest, nimirum, an huiusmodi ritus, & modus colendi Deum licitus sit, vel præceptus, & quo præcepti genere, naturalis, scilicet, an positiuus, diuini vel humani. Prima sententia est hæreticorum quorundam negantium, exhibendum esse Deo cultum externum, & præsertim per sacrificia cruenta. Ita refert August. 1. 1. cont. Aug. Aduers. Leg. & Proph. c. 18. E contrario verò Euseb. lib. 1. de Demonst. Euang. c. 10. refert gentiles quosdam reieçisse incruenta sacrificia tanquam indigna Deo; cruenta vero approbasse. Auerroes autem 12. metaph. in vniuersum hæc sensibilia sacrificia contemnenda præcauit: imo apud Laëtan legimus. Senecam vocem illā protulisse, Quod est supra nos, nihil ad nos: quali abijciendum putauerit omnem Dei cultum, fortal- sa sensibilem & externum.

Sed, quod pertinet ad generalem quaestionem de cultu Dei externo, an sit licitus & honestus, non est hic disputandi locus: sed supponendum est ex 2. loco citato, & in primo tomo huius tertij partis tractatus de adoratione idem ostendimus: non solum ex Scripturis, & ex perpetuo usu Ecclesiæ & iustorum omnium, verum Deum colentium, sed etiam ex naturali ratione. Quia, cum homo cōset animo & corpore: & utrumque à Deo habeat, eiusque prouidentia in vitroque conseruetur, & gubernetur; per se sola in vitroque conseruetur, & gubernetur; per se sola maxime decet, ut non solum animo, sed etiam corpore

portē ipsū colat : præcipue cum huiusmodi cultus externus, & ad propriū spirituale profectū vtilis sit, & ad aliorū exemplū, & Republicæ conuenientē gubernationem. Est enim homo animal sociale, & ideo non satis est, vt veram de Deo existimationem habeat: sed necessarium etiam est, vt eam prodāt, & coram aliis profiteatur : quod maxime fit per huiusmodi externū cultū religioſum. Vnde hæc veritas non tantum est fide certa, sed etiam ratione generali euidentis: & locum habet, non solum in hominib; ad supernaturalem finem eleuatis, sed etiā in pura natura, respectu Dei, vt author est & finis naturalis illius.

Hot autem principio supposito: non est difficile ostendere, etiam esse honestum, Deoꝝ gratum, externum cultum per sensibile sacrificium, sine cruentum, siue incruentum: quod etiam de hede est, & rationi naturali consentaneum. Vnde probatur primo ex historia sacra Scripturæ: nam à principio mundi conſueuerunt homines iusti, Deoque grati, offerre Deo huiusmodi sacrificia, annuente Deo, & signis aliquibus significante sibi esse placitum, vt manifeste legitur de Abel, Genes. 4. ad cuius sacrificium (reſpe- xit Deus & c. 8. Noe, postquam egressus est de arca: Obluit holocausta super altare, odoratusq; est Dominus odorem suauitatis: & idem legitur de Melchisedech, ca. 14. & de Abraham, ca. 15. & 22. & de aliis posterioribus, excepto Isaac: sic nulla etiam fit mentio in Scriptura sacrificij oblati ab Adam, licet credibile sit, illud non omiſſe post peccatum, quamuis Scriptura sacra id non commemoret, cuius rationem mysticam attingit D. Thom. dicta quæſtione 85. articulo. 1. ad secundum, fortasse tamen nullum mysterium in hoc latet: quia necesse non est: vt in Scriptura sacra omnia referantur, præsertim quia fortasse nihil speciale aut memoria dignum in horum Patrum sacrificijs accidit. Secundo, hæc veritas euidentius constat ex his, quæ Deus fecit in lege scripta, in qua Deus multa huiusmodi sacrificia, nõ solum probauit, sed etiam præcepit, quæ lex non potuit nõ esse sancta, cum à Deo fuerit data. De qua re legi possunt Euseb. lib. 1. de Demonst. cap. vltim. Augustin. epist. 49. q. 3. & ex recentioribus Franciscus Ribera, Osee 6. à numer. 20. Tertio, nota fuit etiam hæc veritas Philosophis gratioribus, & qui de rebus moralibus melius senserunt, vt constat ex Platone dialog. 8. de legib. Aristot. 7. Polit. cap. 8. & 8. Ethic. cap. 9. & Cicero de Nat. Deorum. Quarto accedit ratio, quia in huiusmodi genere cultus nulla est specialis deformitas aut indecentia: quia & finis eius religioſus est, & actio ipsa est satis accommodata ad significandum excellentiæ diuinæ recognitionem: neque aliunde ostendi potest aliqua malitia, quæ per se sit actui annexa: ergo talis actus per se ex obiecto & fine suo, & circumstantiis sibi debitis, honestus est. Confirmatur: quia honestum est, vt homo tributum soluat Regi seu Principi, eique honorem exhibeat in recognitionem dominij, & dignitatis eius: ergo honeste etiam potuit ab hominibus introduci, vt de rebus suis aliquid Deo offerant, quasi tributum ei debitum persoluentes, hæc autem obligatio non potest in vilitatem Dei cedere, qui bonis nostris non indiget: decenter ergo factum est, vt huiusmodi oblatio interdum in solum Dei cultum & honorem cedat, per aliquam immutationem seu consecrationem rei oblatæ, est ergo huiusmodi cultus ex genere suo decens, & honestus.

Sed obiici possunt nonnulla Scripturæ testimonia, in quibus Deus significat, huiusmodi sacrificia sibi non esse placita. Pf. 39. Sacrificium & oblationem noluiſti. Pf. 50. Holocaustis non delectaberis: aperiº Isaac 1. Sanguinem hircorum & taurorum nolo, quis enim hæc requisit de manib; vestris? Et similia fere habentur Hierem. 7. amo Ezech. 20. Sacrificiorū præcepta appellantur (non bona.) Confirmatur, quia, si Franc. Suarez Tom. 3.

hæc sacrificia verum & honestum cultum Dei continerent: essent excellentiora, q̃ opera misericordię, eis, quæ præferenda: quia religio excellentior est, quam misericordia, at vero Scriptura sacra præfert opera misericordię his sacrificijs. Osee 6. Misericordiam volo, non sacrificium. hinc Lactant. lib. 6. de vero cultu, capitu. 1. obscure loquitur de ritu & sacrificio, quo Deº colendus est, dicens: Nihil sancta & singularis illa Maiestas ab homine desiderat, nisi solum innocentiam, q̃ si quis obtulerit, satis pie religioſeq; litatur. Ad priora testimonia respondetur, in eis non improbari hæc sacrificia, sed in primis admoneri homines, nõ satis esse illis huiusmodi sacrificia, si alioqui negligenter viuat: q̃ recte docuit Lactantius supra dicens. Homines neglecta iustitia, cum sint omnib; scelerib; inquinati religioſos se putant, si templa & aras hostiarum sanguine cruentauerit. Itaq; non sacrificia, sed sacrificantes reprehenduntur, qui continentes alia operavirtutū, putant se per sola sacrificia fore Deo gratos: vnde in citato loco Isaac 1. post superiora verba subditur: Manus n. vestra sanguine plene sunt: & capitul. 66. Hæc omnia elegerunt in vijs suis & in abominationib; suis anima eorum delectata est. Iuxta quod scribit et Clemens Papa li. 6. Constit. c. 22. Recubabat sacrificia populi sæpenumero in eum peccantis, & existimantis eū sacrificijs, & non penitentia placatum iri: & fere idē habet Irenæus li. 4. c. 32. & Aug. li. q. noui & vet. Test. Irenæus. q. 103. & hoc indicant verba illa Pf. 50. Si voluisses, sacrificium dedissem vtriq;: holocaustis non delectaberis: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: & postea subditur: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuū vitulos. Non ergo hæc Deo displicebant, sed, vt à contrito corde procederet, requirebat. Secundo, ac præcipue insinuat in illis locis, omnia antiqua sacrificia debuisse valere solum ex fide passionis Christi accipere, & illa seclusa, per se nulliº fuisse existimationis, q̃ indicatum est in illis verbis, Pf. 39. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfecisti mihi Holocaustum & pro peccato nõ postulasti tunc dixi, Ecce venio: vt Paulº etiā exposuisse videtur ad Heb. 10. vnde Aug. super eundem Pf. dicit, multa ex prædictis verbis referenda esse ad tempus legis gratiæ, à quo, oblatio iam Christi sacrificio: quia sacrificia prænuñciabant, non possunt esse Deo grata, quod docuit etiam Chryſostomus in Demonstr. quod Christus sit Deus, & Anast. Nisib. quæſtionum sacra Scripturæ, qu. 50. Tertio docemur in prædictis locis, quamuis opera diuini cultus ex genere suo meliora sint, quam opera misericordię: interdum vero hæc esse magis necessaria, Deoꝝ gratiora, ideoq; sacrificijs præferenda; maxime cum relata in Dei honorem, & amorem, participant honestatem religionis & charitatis Dei: hoc enim modo dicitur Marci 12. misericordiam esse maiorem omnibus holocaustis & sacrificijs: Tandem vltimo significatur prædictis locis, dedisse Deum tot sacrificia carnalia illi populo, non quia per se illi maxime placerent, sed vt eum ab idolorum cultu abstraheret. Item Hieronymus interpretans citata Prophetarum testimonia, & Matth. 5. Chryſost. 61. in Matth. & 24. in 1. ad Corinth. Epiphani. hæresi. 42. D. Th. 1. 2. Epiphanius. q. 102. ar. 3. Vnde constat, quomodo exponendum sit verbum illud Ezech. Dedi ei præcepta non bona: non enim possunt dici non bona, quia fuerint mala: alioqui quomodo Deus illa dedisset? dicuntur ergo (non bona) id est, laboriosa, onerosa, aut certe etiam minº perfecta, & carnali populo, potius, quam spirituali accommodata, vt à maioribus malis arceretur. Ad deniq; (non bona) dicuntur, quia onus imponebant, gratiam autem non dabant, & iubebant quidem, nõ autem adiuebant, vt late persequitur Aug. toto lib. de spiritu & littera, & docet D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 1. Ad confirmationem satis ex dictis responſum est: Lactantius etiam pie exponendus est iuxta dicta: maxime quia in eis verbis, non tam de honestate, quam

Osee 6. Lactant.

Adductis Scripturis iustis.

Isaac 1.

Clem. Papa.

Irenæus.

Aug. 103.

Psal. 39.

Hebr. 10.

Chryſostomus.

Anast. Nisib.

Marci 12.

Hieronymus.

Chryſostomus.

Epiphanius.

D. Thomas.

Aug. 103.

D. Thomas.



quam de necessitate horum sacrificiorum loquitur: de qua nondum dictum est.

*Difficultas.*

Secundo igitur loco declarandum superest, vtrum sacrificium sensibile non solum licitum sit, sed etiam praeceptum, est autem quaestio de precepto Legis naturae, nam de iure positivo diuino & humano dubium non est, quin talis actus possit esse materiae precepti, sicut fuit in lege veteri, & postea dicemus de lege noua: difficultas vero est, quid sit dicendum, stando in sola lege naturae. D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1. ad 4. sentit, determinationem quidem sacrificij esse de iure positivo, tamen usum eius in communi esse de lege naturae: & ita interpretantur & sequuntur Caiet. & Soto ibi, & fauet Eusebius loco supra citato dicens: hominem debere vitam suam offerre Deo in sacrificio: tamen, quia non expediebat, humanum sanguinem sacrificari; ideo lege naturae introductum esse, vt in sacrificio animalis, vel aliquid eiusmodi, commutaretur: sic enim Clem. Rom. lib. 6. const. ca. 20. dicit, antiquos Patres naturali lege admonitos sacrificasse: & Calsian. coll. 8. c. 23. dicit, Abel naturali lege adductum sacrificasse. Sed in hac re aliud est loqui de cultu Dei absolute: aliud de cultu externo: aliud denique de tali cultu externo, qui est per sacrificij. Rursus aliud est dicere, aliquid esse simpliciter praeceptum in lege naturae: aliud vero esse sufficiens ad implendum aliquid naturale praeceptum.

*D. Thom.*

*Caietan. Soc. Euseb.*

*Clem. Rom.*

*Calsian.*

*Deum colere iure naturae praeceptum est.*

Dico ergo primo: Cultus Dei absolute loquendo praeceptus est naturali lege. Hanc conclusionem probat optime ratio qua D. Tho. vtrique loco citato, quia nimirum homo debet Deo non tantum amorem, sed etiam honorem, tanquam supremo domino & auctori suo, a quo habet & originem, & caetera omnia. Et confirmatur, nam hac ratione praeceptum naturale est de honorandis parentibus, quanto magis de honorando Deo?

*Idem, cultus externo.*

Dico secundo, etiam esse iure naturae praeceptum, colere Deum cultu externo. Hoc quidem non videtur esse tam euidentis, sicut primum. Probatur tamen primo ex usu omnium gentium, nam omnes eo modo quo Deum cognoscunt, illum colunt aliquo externo cultu: ergo signum est, id fieri naturali ratione dictate. Secundo, quia cum homo à Deo habeat non solum animam, sed etiam corpus, non solum animo, sed etiam corpore tenetur eum colere: non quidem, quia Deus sensibili aliquo signo indigeat, vt mentis nostrae affectum cognoscat, vt haeretici arguuntur: sed vt nos totos, & non solum animas, sed etiam corpora Deo subiciamus. Honor enim est in honorante: & ideo exhiberi debet modo ipsi accommodato. Vnde argumentatur tertio D. Thomas, quia naturale est homini, vt mentem suam sensibilibus signis exprimat: ergo hoc etiam modo tenetur colere Deum. Primum, quia ex interno affectu naturaliter sequitur externa manifestatio: vix enim potest homo animi sui sensum & mentem interius omnino continere, & ideo, si interior cultus Dei est de lege naturae, consequenter fit, vt sit etiam exterior. Deinde, quia hoc multum iuuat, & fere necessarium est ad interiorem cultum, anima enim per actus corporis ad interiores animi motus excitatur. Denique (quod caput est) quia tenetur homo mentem & animum suum erga Deum, non solum Deo, & sibi, sed etiam aliis hominibus significare: propter quod non solum fideles, sed etiam confessio fidei, est ad salutem necessaria, vt significauit Paul. ad Rom. 10. & idem proportionaliter est in lege naturae. Praesertim, quia cum homines in vniuersum Reipublicae seu populi corpus congregantur, naturalis ratio postulat, vt non tantum sigillatim & priuatim, sed etiam publice, & communi nomine & auctoritate Deum colant, quod facere non possunt, nisi externo cultu, quia cultum mere internum homines non vident.

*Rom. 10.*

*Sacrificij oblatio licet de commodatum sit ad praedictam obligationem im-*

plendam, tamen proprie & in rigore non est ex vi sola legis naturae praeceptum. Prior pars satis nota est ex dictis. Posterior sumitur ex Anacleto Pap. ep. 2. dicente, antiquos Patres spontanea voluntate sacrificij obtulisse, & Clemente, qui loco supra citato dicit, non ex obligatione, sed ex voluntate sacrificasse. Ratio vero est, quia licet hic modus colendi Deum, sit honestus & sufficiens ad implendam obligationem colendi Deum, tamen praeter hunc modum possunt esse alij, vt etiam honesti & sufficientes, vt per vocalem orationem & laudem, per genuflexiones: vel alias similes actiones: cultus enim Dei externus multiplex est, & nullum est naturale principium, ex quo sufficienter colligi possit, determinationem illius ad talem modum cultus, scilicet, per sacrificium, esse omnino necessariam ad morum honestatem. Quando igitur aliqui Doctores significant, sacrificium esse de lege naturae, vel loquuntur de sacrificio in communi prout includit non solum propria, sed etiam metaphorica sacrificia. Vel loquuntur de sacrificio formaliter, ratione cultus laetiae externi, vt sic, non ratione talis determinationis. Vel denique, si de hac etiam loquuntur, interpretantur sunt, esse de lege naturae, id est, consentaneum illi, & impletium legis naturae, non tamen simpliciter necessarium.

Dico, considerando hoc praeceptum eo modo, quo praeceptum est, scilicet, in ordine ad cultum Dei externum, vt sic, pro quo tempore obligat, stando in sola lege naturae: Respondeatur breuiter (quonia hoc magis spectat ad materiam de religione) hic occurrere generalem difficultatem & communem omnibus preceptis affirmatiuis, in quibus, si determinatio facta non est per legem positivam, difficile est designare tempus, pro quo determinate obliget. Quocirca, ablati praedicta determinatione legis positivae, nihil aliud dicere possumus, quam huiusmodi cultum esse ab homine exhibendum Deo, aliquoties in vita: & non esse nimium differendum, nec potest temporis punctus & articulus generaliter definiti, sed prudenti vsui, & arbitrio id committendum est.

DISPUTATIO LXXIV.

De Missa seu sacrificio legis nouae.



Superius de sacramentis tractantes prius de sacramentis legis nouae in communi, nunc, quam de aliquo in particulari discurrere incipimus: quoniam sacramenta multa sunt, & in quibusdam reb. conueniunt, in aliis differunt, in lege autem noua non sunt plura sacrificia, sed vnicum tantum, vt postea videbimus, & ideo de hoc singulari sacrificio statim disputationem instituiamus. In quo pertractando duas illas partes distinguemus: speculatiuam scilicet, seu dogmaticam, & moralem: sicut in sacramentis obseruauimus. Prior autem, quam nunc aggredimur, sex vel septem capita complectetur: scilicet, an sit hoc sacrificium: quid sit: quas causas habeat: & praesertim à quibus offerri possit: & pro quibus: & quam habeat efficaciam seu valorem, ac denique quo ornato & caeremoniis peragendum sit. In hac ergo disputatione tantum prima quaestio, & consequenter initium huius sacramenti declaranda à nobis est.

SECTIO I.

Vtrum in lege noua sit aliquod verum ac proprium sacrificium.

VNA ex praecipuis controuersis cum haereticis huius temporis est de huiusmodi sacrificio: illi enim omnino negant, instituisse Christum in noua lege aliquod verum sacrificium, & quamuis possint inueniri